Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1605 IX Kal. Martii.

Schonei Andreae: Epigrammata in laudem VII. eximiorum ac eruditorum virorum dum Licentiati crearentur.

D. O. M. A.

EPIGRAMMATA.

IN LAVDEM VII. EXIMIORVM AC ERVDITORVM VIRORVM, DVM IN FLORENTISSIMA ACADEMIA CRAC. A. D. IX. Kal. Martii Anno Domini M. DC. V.

A

Reuer[do] & Clarißimo Dn̄o Andrea Schoneo SS. Theologiæ I. V. Doctore ac Professore, SS. Floriani & Georgij Custode, eiusdemq; Academiæ Crac. Procancellario &c. &c. Licentiati in bonis artib. & Philosophia actu solenni & magna hominum frequentia crearentur.

CRACOVIÆ,
Anno Domini, CIↃIↃCV.

2..

Aſpera Virtus eſt, & accliuis ad ipſam via, nec eam quis abſque longo labore ſibi comparauerit.

Cyrillus.

Admodum

REVER^DO^ ET CLARISSIMO DOMINO ANDREÆ SCHONÆO SS. THEOLOGIAE I. V. DOCTORI, AC PROFESSORI, SS. *Floriani & Georgij Custodi, Academiæ Almæ Cracouień Procancellario &c. &c. Dño & Patrono suo colendißimo. Nouelli Scholæ Poëseos Cracouień Poetæ meritò ac lubens consecrant, dedicantq́;.*

CVm tuum ingenium sagax, lepores
Gratos; iudicium graue, & politum
Contemplamur; & in dies apud nos
Ad lancem Iouis, vsque pensitamus;
Phœbi delicium SCHONAEE, dulce
Solamen Charitum: Decus Camænûm:
Nostrum præsidium Patrone summe.
Gaudio efferimur: tuum videntes
Propensum studium, & bonorum amorem,
Quo tu prosequeris chorum nouellum
Phæbi, cui labor & Minerua cordi.
Quod, inquam, studium tuum videntes
Noctes atque dies tibi vouere,
Nobis primitias fuit cupido
Cordi. Cur ita? nanque tu solebas,
Nostras esse aliquid putare nugas.
Non siuit pudor, anxius timorq́;,

Aſpera Virtus eſt, & accliuis ad ipſam via, nec eam quis abſque longo labore ſibi comparauerit.

Cyrillus.

Admodum

REVER^DO ET CLARISSIMO DOMINO ANDREÆ SCHONÆO SS. THEOLOGIAE I. V. DOCTORI, AC PROFESSORI,

SS. Floriani & Georgij Custodi, Academiæ Almæ Cracouień Procancellario &c. &c. Dño & Patrono suo colendißimo. Nouelli Scholæ Poëseos Cracouień Poetæ meritò ac lubens consecrant, dedicantq́;.

CVm tuum ingenium sagax, lepores
Gratos; iudicium graue, & politum
Contemplamur; & in dies apud nos
Ad lancem Iouis, vsque pensitamus;
Phœbi delicium SCHONAEE, dulce
Solamen Charitum: Decus Camænûm:
Nostrum præsidium Patrone summe.
Gaudio efferimur: tuum videntes
Propensum studium, & bonorum amorem,
Quo tu prosequeris chorum nouellum
Phæbi, cui labor & Minerua cordi.
Quod, inquam, studium tuum videntes
Noctes atque dies tibi vouere,
Nobis primitias fuit cupido
Cordi. Cur ita? nanque tu solebas,
Nostras esse aliquid putare nugas.
Non siuit pudor, anxius timorq́;,

Incultum ingenium, Mineruâ crassa,
Blandos, quæ hactenus occuparat artus;
Vt vix hiscere quisque posit. At nunc
Postquam sufficit ipse Apollo, nobis
Vires: atque timor recessit omnis,
Laboremq; prehendimus fidelem
Musis. atque patrem scientiarum.
Lubenter tibi consecramus istud
Melos, pumice non benè expolitum,
Aridâ neque pensitatum ad vnguem;
Melos! quo studium, & tuos honores
Ad cælos lepido vocare plectro
Gestimus. quibus optimus Patronus
Princeps optimus, optimusq; Præsul,
Te ornauit meritò. tuo labori
Tuæ præmia & eruditioni
Dignæ, digna ferens SCHONAEE. tantò
Maius præsidium chori nouelli,
Nos quantò illepidi sumus Poëtæ.

I. IOAN-

I. IOANNES CZĘSTOCHOVIENSIS.

Ingenio celeri quia polles. Phœbus Apollo,
Inter eos primam dat tibi laureolam.

II. IOANNES SECHINIVS PRÆMISLIENSIS

Dotibus ingenii præstas, Graiûmq; lepores
Nosti. Par poteris, Carneadi esse breui.

III. NICOLAVS WYSOCKI.

Tu Stagyræ abstrusos, naturâ soluere nodos
Promptus. Si tibi non defuerit studium.

IV. SAMVEL FRANCKOWIC CRACOVIEN.

Mores, ingenium, probitas, industria, Virtus,
Sunt tibi. Si vires corporis adfuerint.

V. ANDREAS WOLPHIVS CAZIMIRIEN.

Eudoxi, Archimedis, vestigia ritè terendo.
Proderis & nobis, proderis & patriæ.

VI. IOANNES ZYNGA
WARSZAVIEN.

Hoc nihil ingenio visum diuinius, vsquam
Cur? quia Virtuti est ardua nulla via.

VII. IOANNES BONIKOWSKI
CRACOVIEN.

Nec te natura ingenio est frustata sagaci
Si labor adfuerit, tu quoq; magnus eris.

MONOSTICHON IISDEM.

Desine singultus Academia, desine luctus,
Namque reuixerunt, membra sepulta virûm.

Epigramma.

AD IOANNEM SECHINIVM PRÆM.

Quis sis ingenio, quantus Virtute loquetur,
Posteritas prudens; omnia facta tua.
Namque nocere potest Virtuti nulla vetustas,
Non illi mortis spicula dira nocent.
Nil faciunt osorum illi mordacia dicta,
Inuidiæ stimulos nil facit illa truces.

Hanc vbi ſis nactus, quæuis mellite SECHINI.
Magna pete. In magnis & voluiſſe ſat eſt.

M. IOANNIS IOVII LEOPOL.
IDEM.

AD SAMVELEM FRANCKOVICIVM CRACOVIEN.

Virtutis meritos refers honores,
Iucundiſsime Ruſsiæ nepotum,
Ad Craci reſidens amæna regna.
Cui tot munificas Apollo dotes.
Confertim dedit, vt ſtupor Camænas
Cæperit. Quis enim tuæ Iuuentæ
Poſſe tam cito maxumos honores
Atque conſpicuos, quibus ſenecta
Vix ſola afficitur dari putaſſet?
Nemo! Sed quia deditus labori
Deditus ſtudio, vigil fuiſti, ac
Pernox. hoc precii decora Virtus
Tulit pro meritis tibi. datura
Maius, ſi labor & Minerua cordi
Feruens adfuerit. Tuæ ſenectæ &
Virtuti meritos feres honores
Iucundiſsime RVSSIAE nepotum.

AD SA-

AD EVNDEM.

CAre FRANCKOVICI, mei lepores,
Dum gnauo ſuperas ſatis ſuperq;
Labores animo, graues reſoluens
Nodos, queîs ſcatet ille Dux Sophorum,
(Dux, quo non alium ſagaciorem
Quisquam repperiat poli ſub axe,)
Senſit hoc benè contuens Apollo,
Senſit Pieridum cohors ſacrata:
Senſit, ac ſubitò virenti opellæ,
Admouens celeres manus, coronam
Nexuit nitidam, tuaq; cura
Dignam peruigili, quam honor celebris,
Immortale decus, perennis & laus
Cingentes varios dabant odores.
Hoc te munere iam cohors ſacrata
Nunc beat, rigido labore poſtquam
Solutus meritum rogas honorem.
Felix ergo gradum refer decenti
Quæſitum merito, diuq; gaude,
Care FRANCKOVICI mei lepores.

Ioannes Sechinius excandidatus.

AD IOAN-

AD IOANNEM SECHINIVM PRÆMISLIEN.

Dum mores, vitamq; tuam dulcemq; leporem
 Eloquii expendo. singula magna reor.
Integra vita, probi mores: & gratia grata
 Virgilii versus, os Ciceronis habes.
Quare cum tibi tot data sint, pulcerrima dona.
 Atque tuo fausto Dî faueant Genio.
Viue diu nobis felix pete sydera sero
 Vt patriam illustres, artibus ingenuis.

Samuel Franckowic Crac. excandidatus.

AD IOANNEM SECHINIVM.

Hactenus insanos licuit nutrire dolores
 Castalidum generosa cohors, iam desine fletus
 Ducere luctisonos, gemitus, lacrymasq; relinque,
 Sed dulces læto promens de pectore cantus,
 Laurigeros victrix mecum celebrato triumphos.
Inclyta nam vatum virtute corona meorum,
Omine quæ haud pridem fuerat dispersa sinistro,
Aspice quam rutilans consurgat, quamq; venusta,
Non aduersi illam restinxit numinis ira;
Non vis crudelis Parcæ deleuit acerba.
En alios retinens consurgit in ordine vates,
Sydereos vates; quos inter splendidus ille

SECHINIVS, ſtellas velut inter luna minores
Emicat, ingenii rutilanti lumine ſplendens,
Cultaq; declarans proprii monimenta laboris.
Huius quis dignè poterit deſcribere laudes.
Immortale decus, flos deliciumq; Mineruæ
Nobilis eloquio, mira probitate decorus
Ille fuit ſemper, Sophiæq; celebris alumnus,
Victor vbiq; fuit, nunc & cum laude triumphans,
Sublimes propria virtute acquirit honores.
Quid celebrem reliquos, vni cum prouida Pallas,
Munera tanta dedit, tantas & contulit artes,
Hæc modò tu cernens Phæbi veneranda propago
Gaudia quanta potes illuſtri concipe mente, &
Magnificos, victrix poſcasq; velisq; triumphos.

Stanislai Nouacij Leopol.

AD SAMVELEM FRANCKOVICIVM. CRAC.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

Arduæ ſummus moderator arcis
Qui truces ſolus pelagi tumentis
Temperat fluctus, variisq; torquet
Nutibus orbem.

Aurei quondam Ganymedis æſtu
Fulgurans, illum Phrygiis ab vndis
Duxit, & celſi rutilos ad ignes
Vexit Olympi.
Et mihi par nunc tua ſors videtur,
Alma te Pallas quoniam coruſcis
Floridum ſertis, nimium celebri
Cingit honore.
Captus eſt eius rutilante forma
Præpotens vaſti dominator orbis:
Et tuo rapta eſt vigili labore,
Culta Minerua.
Præpes hunc Diuum ac hominum parentis
Armiger raptum, æthereas ad oras
Pertulit, lautas ſuperumq; fecit
Viſere menſas.
Te nitens Phæbi chorus, ad ſupernas
Fert domos, tanto numero Sophorum,
Dum facit dignum viridiq; cingit
Tempora lauro.

Ioſephus Chaynowic Leopol.

AD EVNDEM.

Multis multa dedit Phæbus gratiſsima dona,
Nec te fruſtratus dotibus ingenii,
Et genio qui te à ſtudiis deducere ſæpè
Conatus ſed ei reſtitit ingenium.
Perge igitur Genium ſtudio expugnare nociuum
Si ſapis. atque tuum fac tueâre locum.

Macarij Pragenſis Stud. Crac.